phure commendat Crato, trium Cæſarum medicus εὐσχημονέστατος. Hieronymus Donzelinus cum oleo tartari præparatum, intra corpus ad Hydropem, multaq; alia vtiliſſimum, exhiberi poſſe conſtanter affirmat. Et quamuis ſulphuris oleum artificiosè elicitũ, acrius cùm ſit, periculo non careat: dextrè tamẽ adhibitum, maximo emolumento affectis corporibus eſſe, magni prorſus viri recipiunt. Geſnerus in Euonymo Braſſauoli, Fallopij, Fiorauanti meminit: & candidè fatetur loco iam dicto Syluius, efficaciſſimum eſſe. An ergò Chymiſtæ à fixis medendi legibus errabunt longiùs, ſi præparandorum remediorum ordini, ſulphur quoq;, recentium & antiquorũ exemplis adiudicabunt? an non hactenus indignè

Apud Scholtzium conſilio 86.

Epiſt. 98. ad Cratonẽ, apud Scholtzium.

τοῖς δ' ἐπετοξάζοντο καρηκομόωντες ἀχαιοί;

Homerus 3. Iliad.

CALCANTHVM verò tanti facit Geſnerus, vt medici perſona vix dignũ iudicet eum, qui oleo vitrioli carere ſe poſſe temerè exiſtimârit. Id probè electum ad maximas putredines, luemque veneream & catharrum inhibẽdum extollit Crato, quantumuis ſicciorib. naturis

Li. 2. & 3. Epiſtol.

Apud Scholtziũ Epiſt.